



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XI. Ratio authoris libri, super eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

*Ratio authoris libri, super eodem.*

**M**ihi autem videtur Romanam ecclesiam prudenti consilio & saniore sententia hoc potius elegisse, ne judaisare videremur, & Mosaicum adhuc, vel figurativum Pascha observare, si semper xiv. luna solennitatem Paschæ celebremus. Vnde, quia finito veteri & typico, novum Pascha Christus instituit, & profu agni typici tradidit immaculati sui corporis & sanguinis mysterium; recte, sicut agnum typicum non sumimus, sic jam figuram negligimus, cum rem teneamus. Itaque etiam xiv. diei observantiam cum Iudæis non facimus, sed die Resurrectionis Domini novum potius nostrum Pascha celebramus. Quia cum Pascha *transitus* interpretetur, & nostrum transitum, vel de vitiis ad virtutem, vel de morte ad vitam significet, recte & vere transitus noster, qui à Passione Domini incipit, cum Dominus resurgit, perficitur, & ideo tunc potius Pascha celebramus. Nihil enim nobis Christum mori profuit, nisi & resurgere profuisset. Sunt & aliæ forsan Patrum rationes, quas diligens & studiosus lector alicubi poterit reperire. Sed jam ad narrationis ordinem revertentes pausemus hic aliquantulum, ut postmodum recreati, sextum volumen expediamus.

D.HAY-